

*subfalsis, blandis, minimè corrodentibus, volatilitate summa præditis particulis amicissimè sociata, & affuso Nitro a liore acido Spiritu effervescentem evaginas omnis causam existere. Diff. Inaug. de Therm. Fabar. 1704. habit. Thes. 17. 19.*

Quomodo verò exin probari possint effectus Aquæ Favariae suprà deprædicati, non video. Pergo interim ad alia, quæ circa Thermas hasce in omni Regno Naturæ offendit, & primùm quidem, quæ de Aquæductuum miro *texnūmati* tum observeavi, tum delineavi.

TAB. I. Exhibit TAB. I. Aquæductuum & Ponticulorum extre mos ab A. ad B. & C. terminos, cum vicinarum Petrarum, quæ è regione domus sunt, prospectu, & Taminnae Torrentis O. spumante decursu. Ad B. effluit Aqua à Potatoribus pro lubitu haurienda. Ad C. influit in Balneatoria. Ad A, pergit Aquæ Canalis per Saxorum anfractus, ad ipsos Petrarum Parietes veluti pensilis.

TAB. II. sifit Scenographiam ipsius Domus, prouti ex Tab. I. ponticulo Liter. D. notato visitur, ubi S. exhibit Meridionalem ipsius Habitaculi, in quinque Contignationes distincti, faciem: Prima, & suprema, ex his Contignationibus vocatur *Der obere Boden*; secunda *Der Capellen Boden*, quod ibi Sacra sua peragere soleant Pontificii; tertia *Der Kuchen Boden*, à Culinæ præsentia; quarta *Der Laternen Boden*, quod ibi Lanterna de nocte accendi soleat; ultima *Der Bettler Boden*, ubi Mendicantes, aliquie ex fæce Populi homines locari solent. T. ostendit Porticum, *Die Trincklaube*, ubi Potatores & Potatrices deambulare solent. V. Culinam pauperibus destinatam, *die Bettler Kuche*. W. Locum, ubi Calycibus infunditur, & hauritur Lympha. X. Porticui ambulatoriæ subjecta Balnea, pro virili Sexu unum, pro sequiori alterum. Z. Denique Latrinas quinque serie, justâ invicem positas. C. Situm Ponticuli, qui Januā c. clauditur, & Aquæductus adjacentis, utriusque etiam substructiones Saxis in nixas. E. E. petrosas Montium vicinorum moles. F. Taminnae Torrentis defluxum. A. B. C. Aquæductuum & Ponticulorum ultimum progressum, in Tab. I. pleniùs conspicuum.

TAB. III. Delineat Aquæductus ad interiora progressum, ubi,